

**CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO**

Level One Medieval Latin Examination

7 September 2016

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

.....

1. From the *Carmina Burana* Passion Play

(Chorus)

Ingressus Pilatus cum Iesu in pretorium, tunc ait illi:

Tu es rex Iudeorum? *Respondit:* Tu dicis quia rex sum.

Exivit ergo Iesus de pretorio, portans coronam et vestem purpuream.

Et cum indutus fuisset, exclamaverunt omnes:

Crucifigatur, quia filium dei se fecit!

(Versus): Tunc ait illis Pilatus: Regem vestrem crucifigam?

Responderunt pontifices: Regem non habemus nisi Cesarem.

Postea vadat dominica persona sola ad litus maris, vocare Petrum et Andream, et inveniat eos piscantes, et dominus dicit ad eos:

Venite post me: faciam vos piscatores hominum.

Illi dicunt:

Domine, quid vis, hec faciemus,

Et ad tuam voluntatem protinus adimplemus.

Postea vadat dominica persona ad Zacheum, et obviet ei cecus:

Domine Iesu fili David, miserere mei!

2. David and Goliath

Dixit autem Saul ad David: “Vade et Dominus tecum sit.” Et induit Saul David vestimentis suis et inposuit galeam auream super caput eius et vestivit eum lorica. Accinctus ergo David gladio eius super veste sua coepit temptare si armatus posset incedere: non enim habebat consuetudinem. Dixitque David ad Saul: “Non possum sic incedere, quia nec usum habeo.” Et deposuit ea et tulit baculum suum, quem semper habebat in manibus, et elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente et misit eos in peram pastorem, quam habebat secum et fundam manu tulit et processit adversum Philistheum. Ibat autem Philistheus incedens et adpropinquans adversum David et armiger eius ante eum. Cumque inspexisset Philistheus et vidisset David, despexit eum. Erat enim adulescens, rufus et pulcher aspectu. Et dixit Philistheus ad David: “Numquid ego canis sum, quod tu venis ad me cum baculo?” Et maledixit Philistheus David in diis suis. Dixitque ad David: “Veni ad me et dabo carnes tuas volatilibus caeli et bestiss terrae”. Dixit autem David ad Philistheum: “Tu venis ad me cum gladio et hasta et clypeo. Ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israhel, quibus exprobasti.”

3. How to charm a devil

Vt habeas dominium super demones & maxime super Baal, qui est magister eorum, qui dat vera responsa & ambigua, quod fit omni die, omni hora, omni momento, tamen melius est in die Mercurij, Sole occultante, Luna crescente. Igitur illa hora huius diei fac ymaginem de recente cera ad similitudinem hominis, pedibus distortis. Hanc ymaginem asperge de aqua que uertitur cum rota molendini ter die tribus diebus proximis postquam facta fuerit & illine eam de sanguine nigre galline in fronte, in pectore, & in pedibus. Nono die post, scribe in pectore eius sigillum Solis & in dorso eius sigillum Lune. Tercia uero die suffumiga cum herbis thuris, deinde pone sub aqua torrentis per 9 dies. Postea eam de loco amove, et asperge cum sanguine columbe, et fac tributum cum tribus denarijs diuersarum monetarum, dicens: “Coniuro uos Baal, Auel, Dariel, Troion, Orion, per creatorem celi & terre, & per eius omnes uirtutes, & per caput regis ueri, & per omnes principes uostros, vt consecretis hanc ymaginem & faciatis ut respondeat mihi ueritatem de omnibus que ab eo quesiero”.

4. Decapitating the dead for the glory of God

Audientes itaque nostri quod humassent mortuos suos Turci, omnes sese preparauerunt et uenerunt festinantes ad diabolicum atrium et iusserunt desepeliri et frangi tumbas eorum, et trahi eos extra sepulchra. Et eiecerunt omnia cadauera eorum in quendam foueam et deportauerunt cesa capita ad tentoria nostra quatinus perfecte sciretur eorum numerus, excepto quod onerauerant quatuor equos de nuntiis ammiralii Babiloniae et miserant ad mare. Quod uidentes Turci doluerunt nimis fueruntque tristes usque ad necem. Nam cotidie dolentes nichil aliud agebant nisi flere et ululare. Tertia uero die coepimus simul iuncti cum gaudio magno aedificare castrum supradictum, de lapidibus scilicet quos abstraximus de tumulis Turcorum. Peracto itaque castro, mox coepimus ex omni parte coangustare inimicos nostros, quorum superbia ad nichilum iam erat redacta. Nos autem secure ambulabamus huc et illuc, ad portam et ad montaneas, laudantes et glorificantes Dominum Deum nostrum, cui est honor et gloria per omnia seculorum secula. Amen.